



**Concordata nationis Germanicae cum Sancta Sede Apostolica  
pro ipsius Ecclesiae unione, ac pace et tranquillitate inter  
eandem & nationem prædictam perpetuo confovendis inita,  
conclusa & accepta : quibus accessit declaratio Gregorii Papa  
XIII.**

<https://hdl.handle.net/1874/421059>

6

CONCORDA=  
TA NATIONIS GER=  
MANICAE CVM SANCTA  
SEDE APOSTOLICA, PRO IPSIVS  
ECCLESIAE VNIONE, AC PACE  
ET TRANQVILLITATE INTER  
eandem & nationem prædictam per=  
petuò confouendis inita, con=  
clusa & accepta.

QVIBVS ACCESSIT DECLARATIO  
*Gregorij Papa XIII.*



COLONIAE AGRIPPINAE,  
Apud Ioannem Gymnicum, sub Monocerote.

Anno c<sup>o</sup>. l<sup>o</sup>. LXXXIX.

*Cum Priuilegio Caf. Maieft. ad sexennium.*

CONGOLA  
TA NATIONIS GR

LA NATION CYN...  
ET...  
ET...

ET...  
ET...



COLONIE AGRICOLAE  
AGRICOLAE...  
AGRICOLAE...

AGRICOLAE...  
AGRICOLAE...



**N**ICOLAUS Episcopus seruus seruorū  
Dei, ad perpetuum rei memoriam.

Ad sacram Petri Sedem, diuina di-  
spositione sublimati, singulis, quæ p  
vniuersalis ecclesiæ vnione, ac pace, &  
tranquillitate, profutura conspici-  
mus, Apostolicæ prouidentiaē sollici-

tudinem libenter intendimus, & ad felicem illorum pro-  
secutionem & consummationem, opem & operam im-  
pendimus efficaces. Nuper siquidem charissimus in Chri-  
sto filius noster, Federicus Romanorum Rex Illustris, &  
nonnulli alij dilecti filij, ecclesiastici, & seculares Princi-  
pes inclytæ nationis Germanicæ, ex vna, ac dilectus filius  
noster, Ioannes sancti Angeli Diaconus Card. in parti-  
bus illis Apostolicæ sedis de latere Legatus, per nos ad di-  
ctas partes missus sufficienti de super à nobis, & sede Apo-  
stolica auctoritate suffultus, ex alia partibus, Rom. Eccle-  
siæ & dictæ nationibus nominibus, pro ipsius Ecclesiæ v-  
nitione, pace, & tranquillitate, inter Ecclesiam, & natio-  
nem prædictam, perpetuo solidandis & conseruandis,  
diuersa rationabilia & vtilia, ordinationes & statuta, à  
partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, ac  
ceptata & cōcordata, fecerunt ac ediderunt, nobisq; hu-  
militer supplicari fecerunt, vt illis pro firmiori eorum  
subsistentia, robur apostolicæ firmitatis adijcere, nec non  
auctoritatem potiore, & decretum interponere digna-  
remur. Nos itaque qui statuta, ordinationes, & concor-  
data prædicta, per nonnullos ex venerabilibus fratribus  
nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, magno

*Concordata*

*Federicus  
Imperator  
Principesq;  
Germania,  
& legatus  
Apostolicus  
ordinationes  
sue con-  
cordata fe-  
cerunt.*

*Quæ Pont.  
ipse appro-  
bat.*

rum maturitatis, auctoritatis, & literaturæ viros diligen-  
ter examinari & discutere fecimus, eaq; rationabilia & salu-  
bria tam Ecclesiæ quàm nationi præfatæ fore comperi-  
mus; de dictorum, & aliorum venerabilium fratrum no-  
strorum prædictæ Ecclesiæ Cardinalium, consilio & as-  
sensu, Apostolica auctoritate, & ex certa scientia appro-  
bamus, ratificamus, laudamus, & acceptamus, & præsen-  
tis scripti patrocinio communimus, iuxta modum &  
formam subsequentes. Placet nobis super provisione  
Ecclesiarum & beneficiorum ecclesiasticorum quorum-  
cunque, iuris scripti reservatione, & Execrabilis, ac Ad-  
regimen, constitutionum, modificatis vt sequitur. Ad  
regimen Ecclesiæ generalis, quanquam immeriti, super-  
na dispositione vocati, gerimus in nostris desiderijs, vt  
debemus, quod per nostræ diligentiaë studium, ad qua-  
rumlibet Ecclesiarum & monasteriorum regimina, & alia  
beneficia ecclesiastica, iuxta diuinum beneplacitum, &  
nostræ intentionis affectum, viri assumantur idonei, qui  
præsent & prosint committendis eis ecclesijs, monasterijs,  
& beneficijs prælibatis. Præmissorum itaque considera-  
tione inducti, & suadentibus nobis alijs rationabilibus  
causis nonnullorum prædecessorum nostrorum Rom.  
Pont. vestigijs inhærentes, omnes Patriarchales, Archie-  
piscopales, & Episcopales Ecclesias, & etiam monasteria,  
prioratus, dignitates, personatus, & officia, nec non cano-  
nicatus, præbendas, & ecclesias, cæteraq; beneficia eccle-  
siastica cum cura, vel sine cura, secularia, & regularia, quæ  
cunque, & qualiacunque fuerint, etiam si ad illa personæ  
cõsueuerint, seu debuerint per electionem, seu quemuis  
alium

alium modum assumi, nunc apud sedem apostolicam  
 quocunq; modo vacantia, & in posterum vacatura: nec  
 non per depositionem, vel priuationem, seu translationem *De Eccles.*  
 nem per nos, seu auctoritate nostra factas, & inantea fa- *& Benefi-*  
 ciendas vbilibet: nec non ad quæ aliqui in concordia vel *cij's Sedis*  
 discordia electi siue postulati fuerint, quorum electio *Apostolica*  
 cassata, seu postulatio repulsa vel per eos facta renuncia- *reseruat.*  
 tio, & admissa auctoritate nostra extiterit, seu quorum  
 electorum, vel postulatorum, & inantea eligendorum  
 seu postulandorum electionem cassari, seu postulationem  
 repelli aut renunciationem admitti per nos, aut auctori-  
 tate nostra continget apud sedem prædictam, vel alibi ve-  
 bicunq;, & etiam per obitum Cardinalium eiusdem  
 Ecclesiæ Romanæ, aut officialium dictæ sedis quamdiu  
 ipsa officia actualiter tenebunt (videlicet Vicecancellarij,  
 Camerarij, septem Notariorum Auditoris, literarum  
 contradictarum, & apostolici palatij causarum Auditorum,  
 Correctorum, centum, & vnus Scriptorum literarum  
 apostolicarum, & vigintiquatuor Pœnitentiariæ  
 præfatæ sedis, & viginti quinque Abbreuiatorum, nec non  
 verorum Commensalium nostrorum, & aliorum vigin-  
 tiquatuor Capellanorum sedis eiusdem in epitaphio de-  
 scriptorum) & etiam quorumcunque Legatorum, seu  
 collectorum, ac in terris Romanæ Ecclesiæ Rectorum,  
 ac Thesaurariorum deputatorum, seu missorum hactenus,  
 vel deputandorum, aut mittendorum in posterum,  
 nunc vacantia, & inantea vacatura vbicunq; dictos Lega-  
 tos, vel Collectores, seu Rectores, & Thesaurarios ante-  
 quam ad Romanam curiam redierint seu venerint, re-

bus eximi contigerit ab humanis, necnon quorumlibet pro quibuscunque negotijs ad Romanam curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta curia ultra duas dietas legales non distantibus iam forsitan obierint, vel eos inantea ab hac luce transire contigerit, & etiam simili modo quorumcunq; curialium peregrinationis, infirmitatis, seu recreationis, vel alia quacunque causa ad quæuis loca secedentium, si eos antequam ad dictam curiam redierint in locis ultra duas dietas ab eadem curia, vt promittitur, non remotis (dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem) iam forsitan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoueri, etiam nunc per obitum huiusmodi vacatâ, vel in posterum vacatura, Rursus monasteria, prioratus, dignitates, personatus, decanatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendas, & ecclesias, cæteraque beneficia ecclesiastica secularia & regularia, cum cura, vel sine cura, quæcunque, & qualiacunque fuerint, etiam si ad illa personæ consueuerint seu debuerint per electionem, seu quemuis alium modum assumi, quæ promoti per nos seu auctoritate nostra ad Patriarchalium, Archiepiscopaliū, & Episcopaliū ecclesiarum, necnon monasteriorū regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum nunc quocunque modo vacantia, aut in posterum vacatura, necnon etiam per affectionem pacificam quorumcunque prioratum, personatum, officiorum, canonicatum, præbendarum, ecclesiarum, aut beneficiorum aliorum per nos, seu auctoritate nostrarum literarum immediatè collatorū, seu con-

conferendorum in posterum, præterquam si virtute gratiæ expectatiuæ affectio fiet, nunc vacantia & inantea vacatura, plena super præmissis omnibus, & singulis cū fratribus nostris collatione præhabita, & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni, ac prouisioni nostræ, de ipsorū fratrum consilio, auctoritate apostolica seruamus, Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus *Clausula irritans.*  
 super præmissis & quolibet eorū, per quoscunq;, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Item placet nobis, quod in Metropolitanis & cathedralibus etiā immediatè non subiectis ecclesijs, & monasterijs immediatè subiectis sedi apostolicæ, fiât electiones canonicæ quæ ad dictā sedem deferantur, quas etiam ad tēpus constit. fe. rec. Nicolai Papæ III. quæ incipit, Cupientes; *Nicol. III. conf. his habes.*  
 expectabimus: & elapso dicto tēpore si non præsentatæ, vel si præsentatæ, minus canonicæ fuerint, providebimus; & si canonicæ fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili, & euidenti causa, ac de dictorum fratrum consilio, de digniori & vtiori persona duxerimus prouidendum; prouiso quod confirmati prædicti, & per eos prouisi, Metropolitanis suis, & alijs præstent debita iuramenta, & alia, ad quæ de iure tenentur, etiā in monasterijs dictæ sedi immediatè non subiectis, & alijs regularibus beneficijs; super quibus pro confirmatione, vel prouisione ad dictā sedem non consuevit haberi recursus, electi, seu illi quibus prouidendum est, pro confirmatione & prouisione huiusmodi ad curiā Romanam venire non tenebuntur: ipsaq; regularia beneficia sub expectatiuis gratijs non cadant. Vbi autem pro monasterijs ad dictam curiam venire



nire seu mittere consueuerint, non aliter confirmabimus vel prouidebimus, quam superius de cathedralibus ecclesijs est expressum. Et de monasterijs monialium nõ disponemus, nisi sint exempta, & tũc per commissiõẽ ad partes. De cæteris verò dignitatibus & beneficijs quibuscunque, secularibus, & regularibus vacaturis, vltra reseruaciones prædictas ( maioribus dignitatibus post Pontificales, in cathedralibus, & principalibus in collegiatis Ecclesijs exceptis; de quibus iure ordinario prouideatur per illos inferiores, ad quos aliàs pertinet.) Placet etiam nobis, quod per quamcunque aliam reseruacionẽ, gratiam, expectatiuam, aut quamuis aliam dispositionẽ,

*De collatione beneficiorum vacantium in mensibus ordinariõũ.*

*¶ In mensibus prædictis per quoslibet ordinarios*

sub quacunque verborum forma per nos vel auctoritate nostra factam vel faciendam, non impediamus nos, quo minus de illis cum vacabunt de Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, Octobris, & Decembris mensibus, libere disponatur per illos, ad quos eorum collatio, prouisio, præsentatio, electio, seu quæuis alia dispositio pertinebat: reseruacione, aliaue quauis dispositione auctoritate nostra factis vel faciendis, non obstantibus quibuscunque.

*De collatione beneficiorum vacantium in mensibus Sedis Apostolicae reseruatis.*

*In hoc tamẽ vide de clarificatione Greg. XIII.*

Quotiens vero aliquo vacante beneficio in Ianuarij, Martij, Maij, Iunij, Septembris, & Nouembris mensibus specialiter dispositioni dictæ sedis reseruatis non apparuerint infra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficij, quod alicui de illo apostolica auctoritate prouisum fuerit, ex nunc & non antea ordinatio collationum beneficiorum non reseruatorum per alternos menses possit per dictam nationem publicari, & omnes qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eã accipere

acceptandi, tunc quo ad dictam sedem, à Kalendis Iunij proxime futuris ipsa currere incipiet, & durabit deinceps, nisi in futuro Concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum. Placet similiter nobis quod circa prouisionem dictæ sedis ordinandam modus annatarum hoc modo currat. De Ecclesijs cathedralibus omnibus & monasterijs, virorum duntaxat vacantibus, & vacaturis, soluantur de fructibus primi anni à die vacationis, summæ pecuniarum in libris Cam. apost. taxatæ, quæ communia seruitia nuncupantur, & si quæ excessiue taxatæ sint, quod prouideatur specialiter, in grauatis regionibus secundum qualitatem, rerum, temporum, & regionum ne nimium prægrauentur, ad quod petentibus dabimus commissionem in partibus, qui diligenter inquirent & retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum à die habitæ possessionis pacificæ totius vel maioris partis, soluantur, & pro alia media parte infra annum sequentem, & si infra annum bis vel pluries vacauerint, semel tantum soluantur: nec debitum huiusmodi in successorem in ecclesia vel monasterio transeat. De cæteris vero dignitatibus, personatibus, officijs, & beneficijs secularibus ac regularibus quibuscunq; quæ auctoritate dictæ sedis conferentur, vel de quibus prouidebitur (præterquã vigore gratiarum expectatiuarum, aut causa permutationis) soluantur annatæ seu medij fructus iuxta taxam solitam à tempore possessionis intra annum, & debitum huiusmodi, similiter in successorem in beneficio non transeat. Sed de beneficijs quæ valore viginti quatuor florenorum auri de camera non ex-

*De Annatarum solutione.*

*De quo vide Inno. 8. const. 1. Apostolica. cū ibi not.*

dunt, nihil solvatur: duretque hæc obseruantia deinceps, nisi eam similiter in futuro concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari. In alijs autem quæ per se, re. Eugenium Papam III. etiam prædecessorem nostrum pro dicta natione vsque ad tempus futuri generalis concilij permissa, concessa, indulta, & decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordie præsentis non obuient, ista vice nihil volumus esse immutatum: & per hoc quod in concordatis huiusmodi, siue quibusuis alijs eorum occasione conficiendis literis, propter compendiosorem descriptionem, Almania specialiter appellatur, natio ipsa censerì non debet à Germanica natione distincta, seu quomodolibet separata. Et præterea quia difficilè foret præsentis literas ad singula in quibus de eis forsitan fides facienda fuerit, loca, deferri, eadem Apost. auctoritate decernimus quod ipsorum transumpto Metropolitanorum dictæ nationis sigillo munito, tanquam præsentibus si exhiberentur literis plena fides adhibeatur, & perinde stetur ac si dictæ præsentis literæ forent exhibitæ, vel ostensæ: & insuper quoque irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reservationis, constitutionis, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incur-

*Clausula  
irritans.*

su

furum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno  
Incarnationis Dominicæ, millesimo, quadringentesi-  
mo, quadragesimo septimo, Kalend. Aprilis, Pontifi. no-  
stri anno secundo.

DECLARATIO CONSTI-  
TUTIONIS A NICOLAO V. EDI-  
TAE CIRCA COLLATIONES BENEFICIO

RVM VACANTIVM IN MENSIBVS SEDI APO-  
stolicæ reseruatæ: iuxta formam Con-  
cordatorum cum Natione  
Germanica.

*Gregorius 13*

1570



REGORIVS Episcopus seruus seruorum  
Dei, ad futuram rei memoriam.

QVAE in Ecclesiam Dei incom-  
moda inferunt, nostra nos expedit ani-  
maduersione remouere, Cum itaque  
per literas fel. record. Nicolai Papæ V.  
nationi Germaniæ pro illius virtute,  
& concordia cum Sede Apostolica inter alia concedatur,  
vt quoties aliquo vacante beneficio Ecclesiastico, in men-  
sibus Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septembris, & Nouem-  
bris in quibus vacantium Germaniæ beneficiorum Ec-  
clesiasticorum dispositio dictæ Sedi specialiter reseruata  
est, non apparuerit intra tres menses à die notæ vacatio-  
nis, in loco beneficij, quod alicui de illo Apostolica au-  
thoritate prouisum fuerit, extunc, & non antea ordina-  
rius, vel alius ad quem illius dispositio pertinet, de illo

*Nicol. V. 7  
statuit Or-  
dinaros  
posse dispo-  
nere de be-  
nificijs va-  
cantibus in  
mensib. Se-  
di Apost. re-  
seruatæ, ni-  
si fuerit à  
dicta Sede  
prouisum,  
vt sup. in  
eius const.*

disponere possit, & sæpenumero contingat, vt antequã inquisitio, quam plerunq; etiam in concursu plurium, siue in partibus, siue apud dictam Sedem fieri oportet in vitam, mores, & doctrinam eorum, quibus de dictis beneficijs per Sedem eandem prouidendum est, compleri possit, aut antequam de ipsis prouisionibus, seu de mandatis, quæ ad inquisitiones, & prouisiones huiusmodi faciendas ab eadem Sede impetrantur, vel Motu proprio procedunt literæ Apostolicæ conficiantur, vel etiam antequam mandata ipsa à Iudicibus, ad quos directæ sunt, recipiantur, vel recepta expediantur, interdum quoque literis Apostolicis expeditis, & gratia purificata, seu mandatis prædictis receptis, & inquisitione completa, antequam omnimoda executio perficiatur, propter diuersa impedimenta, quæ frequenter succedunt, tempus triu mensium, ex quo vacatio beneficij in loco ipsius nota est, expiret, ac proinde ordinarij locorum, aut alij ad quos talium beneficiorum dispositio, cessantibus Apostolicis reservationibus, pertinet, ab ipso tẽpore prædicto, licet priusquam illud laberetur, prouisionis siue alterius dispositionis de illis à dicta Sede iam gratia facta fuerit (quod ipsum ad tribuendum, & quærendum ius satis superque esse certa iuris interpretatione frequenter declaratum est) illa tamen conferre contendant: Qua de causa multis Religione, & pietate insignibus, quando ij post ostensum virtutis, & doctrinæ suæ specimen, atq; inde immensos labores, & sumptus beneficijs potiri debent, alij præoccupatores obtentu ordinariæ collationis huiusmodi contra aduersantur: Nos indignum rati, quod tempore  
ris

ris mora; quam ad perscrutandum accuratius talium probitatem, industriam, & alia requisita intercedere pro utilitate Ecclesiæ necesse est, locum iniurijs aperiat, attendentesque verba prædicta (in loco beneficij) cum verbis notæ vacationis) quæ protinus antecedunt coniungi & ad illa duntaxat referri, ac voluntatem concedentis, sensumque concessionis, & literarum prædictarum sic esse, vt dispositio beneficij intra tres menses à die notæ vacationis à Sede prædicta fieri, deque gratia facta alicubi apparere debeat, quemadmodum re inter vtriusque iuris interpretes iam pridem controuersa summa ratione iudicatum apparet: vix enim est, vt itineribus non modo infestis, aut prohibitis, quod ferè semper aliquo contingit, sed etiam expeditis quis ex tam longinquis regionibus ad dictam Sedem profectus, & in ea ad expediendum negotium, vel paulisper moratus, in eisdem se recipere tanta temporis angustia possit. Quocirca æquitate, & iustitia suadentibus, præsentium auctoritate declaramus concessionem Nicolai Papæ, & literas prædictas locum omnino non habere, quod ordinarij, aut alij collatores prædicti, post lapsum trium mensium ex die notæ vacationis in loco beneficij disponere possint de vllis beneficijs prædictis, aliàs sub concessione, & literis prædictis comprehensis extra Ro. Cu. in mensibus prædictis quomodo vacantibus, vel vacaturis, de quibus intra dictum tempus trium mensium per Romanum Pontificem, ac dictam Sedem qualiscunque gratia, vel dispositio, aut concessio facta fuerit: Ne tamen cuiquam licitum sit factum à Sede prædicta dispositionem huiusmodi

*Hic Pont.  
modo declarat  
etiam cost.  
Nicol. V.*

*Decretum  
irritans.*

*Collatorū  
inobedien-  
tium pena.*

di in longum obtegere: illi quibus deinceps gratiæ huiusmodi concedentur, earum concessionum, fidem, & testimonium, intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficij huiusmodi, vel dictis collatoribus significare, vel in ipso beneficij loco publicare quoquomodo teneantur. Decernentes omnes, & quascunque dispositiones de dictis beneficijs ab eisdem collatoribus post significationem, seu publicationem huiusmodi pro tempore factas, nullas, & inualidas, nulliusque roboris, vel momenti fore. Sicque in quibusvis causis pendentibus, & futuris iudicari debere. Nec non irritum, & inane quicquid fecus super his ab eisdem collatoribus, aut quibuscunque alijs scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quod si fortè quisquam collatorum prædictorum fuerit præsentium violator, cum à beneficio eorum, & officiorum collatione tandiu suspendimus, donec ipse veniam petens restitutionis gratiam à Sede prædicta meruerit obtinere. Cæterum volumus, vt præsentium transumptis, etiam impressis Notarij publici manu, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio, & extralud ubique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, decreti, suspensionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum,

trum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, Kal. Nouembris, Pontificatus nostri anno quinto.

M. Dat.

C. Gloricius.  
A. de Alexijs.

**M**AXIMILIANI Imperatoris Romanorum edicto cautum est, vt Concordata Germanica Nationis sedulo seruentur, apud Leodienses, ita vt nihil pactis & concordatis illis derogetur, si vero quispiam Cesareo edicto & voluntati, ausu temerario contrauenire presumpserit, mulctabitur, quemadmodum latus patet in diplomate, Augusta die 11. Iulij. Anno 1518.

**S**imili modo per Carolum Romanorum Imperatorem cautum est, vt & Cameracenses, seruent suprascripta Concordata sub indignationis pœnæ, & mulctæ, quæ ex literis latius patet. Dat. Bruxellæ, Anno 1554. 9. Februarij.

F I N I S.



OCN 71652919

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

ADAM SMITH  
AN ENQUIRY INTO THE NATURE AND CAUSES OF THE WEALTH OF NATIONS

BY  
ADAM SMITH

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

FINIS